



PALAEESTRA LATINA

S U M M A R I U M

- | | |
|---|--------------------|
| Imagunculae Claretianae, | (MARCOS) |
| De usu exemplorum in syntaxi
Linguarum Classicarum
docenda, | (FANTINI) |
| In Honorem B. M. Virginis | (LACRUZ) |
| Moleae Subterraneae, | (VIATOR) |
| Nova et Vetera, | (JIMÉNEZ) |
| Divi Isidori in Caesaraugustam
praeconium | (CAESARAUGUSTANUS) |
| Sollemnia Augustea | (ACTUARIA) |
| Beatissima Virgo omnium
gratiarum Mediatrix, | (ZUBIRIA) |
| Epheborum Exercitationes. | |
| Commercium Epistulare, | (NAVIA-JIMÉNEZ) |
| Aenigmata, | (PALATA) |
| Mirifica Portenta, | (MARCOS) |
| Per Orbem | (SARMIENTO) |
| Bibliothecae Auctorum Grae-
corum et Latinorum. | |
| Bibliographia, | (ZUBIRIA-MARTIJA) |

Imagunculae Claretianae

Antonius a daemone tentatur

Cum studiis Antonius, ad sacra munera tendens,
Fervidus instaret, febriculam inciderat.
Dum jacet in lecto, prima florente juventa,
Adflabat daemon pectoris igniculus.
Moribus insidias castis molitur iniquus,
Noxarum inlecebris adliciens juvenem.
Jamque obscena pium torquent simulacra jacentem;
Insuper adtolunt horrida monstra caput.
Territus his Claret caelestia Numina clamat,
Insignem palmam victor ab hoste ferens.
Tum caelo Virgo subridens labitur alto,
Vincentisque rosis implicat Ipsa caput.

Divinitus flumen transgreditur

Laletanam Claret gentem ardebat in omnem
Adsidiuus verbi semina ferre Dei.
At tumidum ripas invadens imbre fluentum
Obstitit anhelis passibus unda viri.
Nil animo dejectus praeco, sed impiger audens,
Solvere tentabat vincula jam pedibus.
Cum puer angelico subridens leniter ore
Adversis ripis aethere vexit eum.

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

Professor Dr. Johannes Lamer

die XX mensis Octobris anno, MCMXXXIX occubuit.
Quondam inlustre Regis Alberti Lipsiae rexerat Gymna-
sium. Litterae Latinae virum lugent sapientem. — R. I. P.

PALAEASTRA LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem, manuscripta autem ad Moderatorem

ADMINISTRATIO:

ZARAGOZA - España - Avenida Siglo XX, 37

DIREC TIO:

ALAGÓN (Zaragoza) España - MISIONEROS

De usu exemplorum in syntaxi Linguarum

Classicarum docenda

Usque ad hodiernam diem maxima pars progressum ad rationem docendi syntaxim sive Graecam sive Latinam spectantium intendit, ut discipulus non tantum memoria, sed potius intellectu labore, atque ita singulas praceptorum regulas facilius et intellegat et discat. Idcirco igitur hodierna syntaxeos forma sic elaborata est, ut paucae regulae generales totam particularium praceptorum doctrinam complectantur. Alia quidem mutatio in labore memoriae inducta est. Etenim in plurimis gymnasiis classicis ita syntaxis breviter proponitur, ut discipuli, quod solummodo praecipuum sit ad autores intellegendos, discant; cetera vero, quae pro particularibus locis proponendo necessaria videantur, magistri praelelio supplere potest. Nonnulli autem doctores locutiones seligunt ex fragmentis classicis, quae lecta a pueris fuerunt cum morphologiam praepararunt, eisdemque utuntur exemplis, ut syntaxeos praecpta declarent et confirment. Jam vero, cum discipuli has locutiones bene intellegant, —cursu enim superiore earum versionem praeparaverunt,— cumque in cursu syntaxico jam non multo labore, ut ea memoriae tradant, indigeant, modo profecto faciliore, quam si omnino exempla ejusmodi ignota essent, discunt.

Quibus pree oculis habitis, aliquam mutationem in ratione docendi syntaxim proponam, in primis, ut labor memoriae minuatur, deinde vero, ut etiam aliis commodis ex hoc priore derivatis perfruamur.

Putamus numerum exemplorum ad totam syntaxim explicandam fieri debere *minimum*. Requiritur autem, ut haec exempla, forsam tantum viginti vel paulo plus, quae ad totam syntaxim inlustrandam inserviant, ita clare, distincte, penitusque evolvantur, frequenterque pro singulis regulis applicentur, ut exemplorum diversitas, quam in nostris grammaticis reperimus, plene et cum emolumento suppleatur. Certo haec exempla passim repetita magna cum facilitate juvenum memoriae tradentur. Adparet ergo hanc studendi syntaxi rationem incommodum studio grammatices esse nullum; quin immo, progressum non spernendum inducere.

Omnium autem modus ad exempla seligenda aptissimus fortasse sit ea, quae ad regulas de temporum ac modorum usu necessaria videantur, configere: in hisce enim praceptis, cum diversa pro diversis temporibus et modis exempla sint adhibenda, facile in se cetera elementa praebent, unde materiam ad reliquas regulas explicandas depromamus. Ceterum, si adhuc nonnulla exempla desiderantur, ex classicis auctioribus eligantur, et cum antea selectis misceantur et repetantur. En igitur, quod cum exemplis faciendum est. Accipiamus verbi causa hunc Ovidii versum:

Sol oculis juvenem, quibus aspicit omnia, vidit. (Met. II, 32)

Haec quidem locutio ita brevis ac simplex saltem novies repeti potest; nam: 1.^o ad declarandam regulam «subjectum propositionis modi finiti ponitur semper in nominativo» inservit, nempe, propter vocem *sol*; — 2.^o pro regula, quae sonat «verbum (seu praedicatum verbale) concordat cum subjecto numero et persona» habemus eamdem vocem *sol*, quae est subjectum verbi *vidit*; — 3.^o pro pronomini-bus relativis, quae concordant cum antecedente genere et numero, habemus pronomen *quibus* et antecedens *oculis*; forma autem pluralis certo non ostendit in hoc casu concordantiam generis, sed tantum numeri; generis vero concordantiam aliud exemplum opportune adhibitum declarare potest; — 4.^o voces *juvenem*, et *omnia* inlustrant regulam, quae dicit «plurima verba sensus et animi affectus habent complementum objectum directum in accusativo; — 5.^o duo ablativi *oculis* videlicet et *quibus* etiam inserviunt, ut declarent complementum circumstantiale instrumenti ponit generatim in ablativo, si non agatur de personis; — 6.^o utrumque verbum *aspicit* et *vidit* exemplum nobis obseruit propositionis realis, alterum in tempore praesenti, in praeterito autem alterum; — 7.^o quin immo, *aspicit* est praesens, quod semper fit significans, idem ac si auctor *semper aspicit* scripsisset; — 8.^o verbum *vidit* potest declarare regulam «perfectum in sensu proprio saepe factum omnino praeteritum significat»; etenim *sol* vidit *juvenem tunc*, nunc autem non vidit, sed *videt*; — 9.^o denique propositio relativa «quibus aspicit omnia», cum sit oratio completiva (vices enim gerit complementi attributivi vocis *sol*, fere ac si scriptum fuerit: *Sol inspector omnium oculis...*), et cum sit etiam in indicativo, potest confirmare regulam, quae dicit: «Propositio relativa completiva gaudet constructione absolutae, ideoque saepissime habet indicativum».

Idem omnino in lingua Graeca fieri potest. Proferam igitur nonnullas Thucydidis lineolas, quae exemplorum copiam praebent:

Αἱ δὲ τριάκοντα νῆες τῶν Ἀθηναίων ἀφικνοῦνται ἐς τὰ ἐπὶ Θράκης, καὶ καταλαμβάνουσι τὴν τε Ποτίδαιαν καὶ τὰλλα ἀφεστηκότα [=At triginta Atheniensium naves in Thraciam pervenerunt, et Potidaeum aliasque civitates jam defecisse reppererunt] (Thuc. I, 59).

Haec igitur verba explicant syntaxeos regulas: 1.^o de concordantia subjecti cum verbo (seu praedicato verbali): νῆες ἀφικνοῦνται, [νῆες] καταλαμβάνουσι; — 2.^o de attributo per concordantiam participio: τὰλλα ἀφεστηκότα; — 3.^o de articuli usu: αἱ νῆες τῶν Ἀθηναίων, — τὰ ἐπὶ Θράκης, — τὴν Ποτίδαιαν, — τὰλλα [=τὰ ἄλλα]; —

4.^o de attributo per subordinationem: νῆες τὸν Ἀθηναίων; — 5.^o de complemento objecto directo. καταλαμβάνουσι τὴν τε Ποτίδαιαν καὶ τὰλλα; — 6.^o de complemento circumstantiali «ubi»: ἐπὶ Θράκης; — 7.^o et «quo»: ἐς τὰ [χωρία]; 8.^o de usu prae-positionis ἐπὶ cum genitivo: ἐπὶ Θράκης, — 9.^o et ἐά [= εἰς]: ἐς τὰ [χωρία]; de usu constructionis, — 10.^o sive transitivae: καταλαμβάνουσι τὴν τε Ποτίδαιαν καὶ τὰλλα, 11.^o sive intransitivae: ἀφικνοῦνται, — ἀφεστηκότα; 12.^o de praesentis historici usu: ἀφικνοῦνται, [=ἀφίκοντο], =καταλαμβάνουσι [=κατέλαβον]; — 13.^o de participio perfecto: ἀφεστηκότα, 14.^o de oratione absoluta reali: αἱ νῆες ἀφικνοῦνται; — 15.^o de propositionibus coordinatis: αἱ νῆες ἀφικνοῦνται καὶ καταλαμβάνουσι...; — 16.^o de participio completivo attributo complementi objecti directi, deque oratione comple-tiva in participio cum verbis *inveniendi*, *reperiendi*...: καταλαμβάνουσι τὰλλα ἀφεστηκότα; — 17.^o denique, etiam de usu conjunctionum δέ, καὶ, τε.

Postquam ex auctoribus exempla excerpserimus, quibus ad regulas de temporum ac modorum usu confirmandas simus usi, jungamus quae idem praeceptum declarent. Hac igitur industria exemplorum copiam habes pro unaquaque regula declaranda.

Eiusmodi plenum exemplorum studium ac repetitio pro unaquaque syntaxeos regula facienda sunt. Haec autem docendi ratio postulat quidem perlucidam praeceptorum explicationem, qua pueri exempla perlegentes bene et penitus grammatices regulas intellegant; ad hoc etiam juvat, ut uniuscujusque exempli voces, quae quasi praecepti cardinem constituunt, aliquo modo signentur, sive *Italicis* litteris, sive *crassioribus*, ipso denique vocis sono, ita ut quam citissime primo intuitu in exemplis praecepta explicata perspiciantur; denique, explicatio magistri difficultates, quibus discipuli in privato studio offendere possunt, opportune dissolvet. Et haec quidem plana videntur.

Sed neque iis exhausti commoda hujus instituendi rationis. Praeter enim adjutorium memoriae, de quo supra dictum est, indoles reflexionis in adolescentibus fovetur, quippe quae omnia exempla penitus quoad syntacticam constructionem intellegi debent. Deinde, cum in unaquaque regula omnia exempla denuo semper adducantur, facile exemplorum copia pro singulis praeceptis invenitur. Discipulus vero cottidie versans easdem pro diversis praeceptis locutiones, respectus inter di-versas syntaxeos partes sine difficultate percipiet, qua in re profecto cultus intellectus consistit. Aliud autem commodum non spernendum est brevitas temporis, qua discipuli hac studendi ratione eruditii, omnem materiam recolere possunt; cum enim exempla de facto pauca sint, passimque repetita, quam citissime recoluntur. Denique, quoniam labor studendi praeceptis plurimum contrahatur, non parum temporis restat, quo juvenes magis magisque versioni, compositioni et reliquis exercitiis grammaticae addiscendae necessariis incumbant.

JULIUS FANTINI, S. J.

Oeniponte in Austria.

In Honorem B. M. Virginis

Matris Pulcrae Dilectionis

*Ver suam prodit faciem; vireta
Jam nova surgunt decorata veste
Surgit et laurus, redeuntque vitae
Lilia campi.*

*Vernat exultans viridique tecta
Pallio tellus; rubens rosarum
Cernitur vultus, placidum libenter
Spirat odorem.*

*Omnia excelsae referunt Mariae
Gloriam; dulci modulatu aēdon,
Fluctibus pontus, radiis lucernae,
Murmure fontes.*

*Haud melos sacrum populus fidelis
Denegat tantae Genetrici; ab ino
Cordium enascens geminatur ultro
Hymnus ubique.*

*Ipsa nam Virgo tribuit videndam
Jam suam nobis faciem pudoris,
Et salutatur velut alma pulcri
Mater amoris.*

*Hac die summis ideo Mariam
Vocibus laeti celebramus omnes,
Cui pio sacros modulatus ore
Promit Olympus.*

*Cernis ut stellis facies refulget
Septa bis senis, pedibusque luna
Ut subest ejus, sedeatque sole
Qualis amicta?*

*Gaudeat tanto decorata tellus
Lumine, et plausus geminet libenter;
Virginem puleri referant amoris
Terra polusque.*

Caesaraugstae in Hispania.

*Eja Vos, quorum precibus rependit
Ipsa caelestis columen salutis,
Jam vicem tantis meritis ovanter
Reddite vestram!*

*Te quis, o magnum decus, o superni
Lilium prati, celebravit aeque?
Te quis, o pulcri, valuit reserre
Mater amoris?*

*Quae voluntati Domini potentis
Annuens, nostros reparare casus,
Virginum Virgo, valuisti, in aevum
Sis benedicta.*

*Cujus adjuti precibus, timenda
Inferi semper diruemus arma,
Mater o cunctis memoranda, in aevum
Sis benedicta.*

*Cui regens caelum Dominus libenter
Paruit, nobis medicans superbis,
Omnium linguis recolenda, in aevum
Sis benedicta.*

*Quam sacris olim Solymae videntes
Laudibus digne cecinere vates,
Gemma caelorum rutilans, in aevum
Sis benedicta.*

*Sol, tuis nostrae radiis opacas
Amovens umbras tenebrasque vitae;
luna, sed numquam minuens nitorem
Sis benedicta.*

*Te duce, undosi pelagi procellas
Haud vacillantes peragramus omnes.
Cordibus Mater redamanda nostris,
Sis benedicta.*

AURELIUS LACRUZ, A. R.

MOLEAE SUBTERRANEAE

- CAECILIUS. Hiccine ergo mihi erit moriendum? O patrem miserum!
- NARSES. Per deum te obsecro, silentias! vae nobis, si vocem tuam audierint! veni in hoc latus!
- CAECILIUS. Intra has tenebras?
- NARSES. Opus erit Veni, dicam tibi, quid sit faciendum. Ne quid metueris! A tuo latere manebo. (*ducit eum ad laeram partem*).
- CAECILIUS. (*abiens*) Adamas. Deus, pueros! Defende me! (*abit*).
- CAECILIUS. hiccine? Tandem te repperi!
- AUXILIARE mihi! Duc me ad patrem! Minitantur mihi necem.
- VALENS. Ai. senex taeterrime! (*Valens cito impedit eum*).
- CAECILIUS. Narses amat me; idem ipse proditus est.
- VALENS. (*voce subita et vehementi*). Sed quid agendum? (*auditur stridor catenarum*).
- NARSES. (*territus*) Auscultat... Veniunt... Aperitur porta, quae ex Metrani palatio per scholas longas dicit in haec spatia subterranea.
- VALENS. Veniant! manebo eos.
- NARSES. (*cum anxietate et festinatione*) Cave! Proh deum inmortalem, age cum patientia! Caecilii interficti essem auctor! Robore ac viribus tu quidem vales plurimum; at plus centum aderunt qui inruant in te. Absconde te post haec ruderam; consilium cepi vos conservandi...; nunc autem minime terendum est tempus... absconde te; sequere consilium, oro te, amici sinceril!
- Nihil impedio. (*ad Caecilium*) Siste, Caecili, juxta meum latus! (*premit dextram ejus*).
- CAECILIUS. Manebo semper apud te neque unquam te relinquam.
- NARSES. (*sistit inter Valentem et Caecilium*) Minime hoc erit prudentiae; discedite!... Quaerent puerum et invenient te et peribis.
- VALENS. Et quis defendet Caecilium?

SCAENA SEXTA

Valens, tunc Narses et Caecilius

(*Mora. Auditur strepitus cuiusdam casus. Valens per januam caducam decidit humi et surgit*).

- VALENS. Proditoris! (*destringit gladium*). Ubi sunt? Qualis vorago est haec? Heus!
- NARSES. (*ingreditur*). Miles est!
- VALENS. Babae, tu es sceleratus iste! Monstra, quo exeam, aut morieris! (*prehendit brachium ejus*).
- NARSES. Fieri poterit nequaquam.
- VALENS. Cave mihi obloquaris quidquam! praecede me exiturum!
- NARSES. Noli vociferari! auditus peribis.
- VALENS. Ego? Ubinam sum?
- NARSES. Ir quodam pistrino.
- CAECILIUS. (*egreditur*). Quae rixa? Ah, quem video? Valens, mi Valens! (*obcurrit ei amplexurus*).
- VALENS. (*avertitur a Narse, qui paululum se recipit*). Tute, Caecili,

- VALENS. Vales plurimum; at plus centum aderunt qui inruant in te. Absconde te post haec ruderam; consilium cepi vos conservandi...; nunc autem minime terendum est tempus... absconde te; sequere consilium, oro te, amici sinceril!
- Nihil impedio. (*ad Caecilium*) Siste, Caecili, juxta meum latus! (*premit dextram ejus*).
- CAECILIUS. Manebo semper apud te neque unquam te relinquam.
- NARSES. (*sistit inter Valentem et Caecilium*) Minime hoc erit prudentiae; discedite!... Quaerent puerum et invenient te et peribis.
- VALENS. Et quis defendet Caecilium?

A. ERAM. VIATOR, S. V. D.

(*sequetur*)

Nova et Vetera

DE CALAMIS ET LITTERIS


Per quam admirabile est, ait Vives noster, tantam varietatem humanarum vocum paucis potuisse litteris per scriptionem comprehendendi.

Sed eadem non fuit semper scribendi ratio, nam antiquissimi solebant *stilos* in cereis vel ligneis tabellis pungendo litteras efformare; unde a pungere *pugillares* vocarunt.

Postea primatum habuerunt *calami*, quibus in membranis deletilibus, quae *palimpsesti* vocabantur, una tantum facie scribebant. Plinius (16 Hist. Nat. 36, 64 (157) de calamis Aegyptiis loquitur deque his qui in Asia circa Aniaticum lacum nascuntur, eosque probatores habet. Jam vero anseribus *pennis* vel gallinaceis, plumis scalpello detractis et cauda aliquantulum detruncata, scriptores usi sunt. Sed recentiores ab his omnibus abhorrentes ultraque procedentes, *pennulam*, auream, argenteam aut tantum ferream excogitarunt *capulo* adfixam, quae parvi emeretur diuque perduraret. Demum his nostris diebus *Stilographi* usus omnia invasit. Commodissimum est enim ubique terrarum et quocumque tempore omnia et linimentum et calamus in promptu habere ad scribendum. Pro his vero qui non nisi distorte inaequaliter, perturbate litteras pingere noverint *dactylographum*, res nova et mirifica machina, utilitatem adferet aud parvam. Qui ea utumtur omnes jam caligraphos ridendos judicant. Celeritas, perspicuitas, elegantia: en dactylographi dotes.

I. STILOGRAPHUM

Et revera *stilographum*, minime *stylographum* ut quibusdam scribere placuit. Nam etsi a voce Graeca στῦλος proveniret, consuetudo apud Latinos obtinuit, *stylum* Latinis litteris scribendi; quid vero si, quod longe probabilius, non a στῦλος, sed a στίλοι i. e. pungere, originem ducat, unde et *stimulus* dimanat? Seb jam ad hodiernam imaginem mentem et oculos dirigamus.



1	Cuculio, onis	cucurudo	6	Vesticulus, i	pulanquita
2	Capulus, i	mango	7	Retentaculum, i	sujetador
3	Pennula, ae	plumita	8	Clavicula, ae	clavija
4	Clusterculus, i	jeringuita	9	Vasculum, i	tintero
5	Spira, ae	rosca	10	Linimentum, i	tinta

II. EPISTULAE

Buzón (de cartas). — *Theca tabellaria, epistularum theca.*

Carta. — *Epistula, ae vel litterae, arum.* Sed discrimin quoddam est inter epistulam et litteras ut patet ex Cic. 3 ad Quint. fr. 1, 3: «venio nunc ad tuas litteras, quas pluribus epistulis accepi». Unde epistula ab ἐπίτι = ad, et στέλλω = mitto, proprie ipsam chartam (*papel*) obsignatam et alicui missam significat; litterae vero quod in charta continentur, nempe voces et locutiones in eadem scriptas.

Carta certificada. — *Epistula commendata.*

Cartero. — *Tabellarius, ii,* nam antiquitus tabellis utebantur ad commercium epistulare.

Correspondencia. — *Commercium epistulare.*

Dirección (señas). — *Manifestaria, orum.* Mos est in operculo (*sobre*) illius manifestaria clare et distincte inscribere cui epistula mittitur ut ei sine haesitatione tabellarius reddere valeat.

Firma. — *Subsignatio vel subscriptio.* Apud Romanos consuetudo subscribendi epistulam auctoris nomine et cognomine non viguit; sed tantum tabellas, postquam scripserant, lino obligatas anulo obsignabant.

Fecha. — *Dies, ei;* ideoque diem dare idem sibi vult ac diem (*fecha*) praestituere; ita exempli gratia: «diem dicunt, quo die ad ripam Rhodani convenient: is dies erat a. d. V Kal. Apr.» Cic. 3 ad fr. 1. 3.

Franqueo concertado. — *Cursus stipulatus.* Cursus enim fuerunt primo juvenes, deinde equi et vehicula modicis intervallis disposita ab Augusto instituta, quo celeriter sciri posset quid in quaue provincia gereretur.

Lápiz. — *Graphium non Graphium* a γράφω stilus erat ferreus quo veteres in ceratis tabulis solebant scribere.

Papel. — *Charta, ae.* Sed varia accipit nomina prout ad varios usus ordinetur. Itaque recte dices:

- paper borrador — *adversaria, orum.*
- paper secante — *charta bibula*, quasi linimentum bibens.
- paper de carta — *charta epistularis.*
- paper de estraza — *charta emporetica*, quia in emporio (*mercado*) ad involvendas merces usurpatur.

Porta plumas. — *Theca calamaria,*

Sello. — *Sigillum, i* vel *signum adfixum*, seu *Pittacium, ii.* Pittacium, a πίττα = pix, schedula brevis erat, quae alicui rei pice, cera aliave re adfigebatur, paucis verbis scripta, at de brevi charta seu libello dicebatur, in quo memoriae causa aliquid adscriptum fuerit, licet nullibi adfigeretur.

Sobre. — *Involucrum, i,* uti videre est in his verbis: «emporetica inutilis scribendo involucris chartarum usum praebet» (Plin. 13. Hist. nat. 12. 23 (76)).

Tarjeta postal. — *Chartula seu Schedula.* Scheda a Gr. σχίζω, findere, est plagula chartae nequaquam cum aliis conserta, sed singularis.

Tarjeta de visita. — *Libellus, i.* Libellus sensu proprio est idem ac parvus liber, sed acceptum quoque est pro scripto in genere quo quis spectacula adeundi invitatur.

Tinta. — *Linimentum, i.* Linire h. e. rem aliquam liquidam aut mollem alteri superinducere ungendi causa. Dicitur vero *atramentum, rubrimentum, caeruleamentum* prout atrum, rubrum aut caeruleum linimentum adhibeatur.

Valija (de cartas). — *Mantica, ae (epistularum)*, quae umeris et tergo suspensa gestatur.

III. BREVISSIMAE DE VARIIS REBUS EPISTULAE

Subnotatorum utilitati consulere voluimus cum has brevissimas epistulas ex opere «Scribisne litterulas Latinas?» (K. Thieme, Dümmlers Verlag. Berlin und Bonn. 1937) mutuatas recepimus. Saepissime enim fit, ut quis a commercio epistulare cum exteris avertatur, quia nec proprium exterarum gentium loquendi modum recte dignoscat, nec Latine scribere audeat. Et tamen necessitas aliquando urget. Tunc ergo epistulae quae sequuntur maxime juvabunt.

1. **Invitatio.**—Si vales, bene est. Illud a te peto, quod maxime cupio, ut die Lunae hora a meridie tertia et quadrante apud me convenias. Est res sane magni consilii. Sed haec coram. Cave ne luseris exspectantem. Ut recte valeas

Tui addicissimus. HENRICUS.

2. **Librorum commodatio.**—Pergratum mihi feceris, si ad quindecim dies Novi Testamenti Graece editi volumen alterum, una cum Hauckii preparatione in epistulam ad Galatas mihi commodaveris. Tuo officio gratiam apud me inibis maximam. Weberum virum optimum meis verbis jubeas velim salvere plurimum. Vale.

3. **Adsignatio postalis.**—Pro tuo in me beneficio facere non possum, quin pecuniam necessariam die Saturni per adsignationem postalem (*giro postal*) mittam. Quomodo ea pecunia utaris, mea non interest: Ego Te mihi semper amicum esse volui; me ut Tibi amicissimum esse intellegeres laboravi. Tui observantissimus N. N.

4. **De librorum emptione.**—Peto a te ut die 13 h. m. atrium actuarium N. N. bibliopolae capessas cogitesque, quemadmodum mihi parvam bibliothecam confidere possis. Quidquid Latinorum librorum invenies dignum bibliotheca mea, ne dubitaveris mittere: loculis meis confidito. Deinde Hoffmannum bibliopolam velim convenias discasque ex eo, si quid Monachio (*Munich*) advectum sit novorum librorum de jure tractantium; cognas, quaeso, qui sint et quanti veneant. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Multam salutem Tibi.

5. **Responsum.**—Litterae tuae gratulatoriae plenaes sinceritatis supra quam dici potest, gaudio mihi fuerunt. Gratias tibi ago quam maximas. Quod nataliciae interesse non posses, valde dolebam. Hoc tibi adfirmo die natali meo in maxima laetitia et gratulatione tua praesentiam mihi tuam

defuisse. Ut recte valeas. Tu me matri tuae honorantissime magnopere commendato. Vale,

6. **Gratulatio.**—Ex animo tibi patrique tuo viro spectatissimo opto et ominor in proximum annum laeta. Deus vos ambos multos annos servet incolumes. Plurimam salutem patri tuo viro honorantissimo et tibi. Tibi deditissimus.

7. **Responsum.**—Gratiam tibi habeo maximam, quod annum novum faustum mihi precatus es. Evidem ego omnia bona tibi precor in proximum annum. Cura ut quam optime valeas.

8. **Praeceptoris dilectori.**—Scriptum meum nisi ad te; in quo, si quid erit, quod minus eruditum videatur, corrigas. Latinam translationem ubi perfecero, ad te mittam. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui Tibi tantum oneris imponam; potest enim mihi denegare occupatio tua.

Fecisti mihi pergratum, quod Calderonii illius operum editionem Hispanicam ad me misisti; ex qua quidem ego —quod inter nos liceat dicere— vix quidquam intellego. Ut bene valeas!

9. **De consolatione.**—Ad te, mi frater, non queo sine sollicitudine scribere. Te enim vides esse misserrimum, quem ego beatissimum esse semper voleui. Te nunc tali morbo tentari, sic articulorum doloribus vexari! Quod a te quidem morbus deferetur fortissime, admirationem meam effesisti. Fasit Deus, ut in sanitatem restituaris! Quam primum veniam. Multam salutem tibi.

10. **Habe me excusatum.**—Non est quod mihi succenseas; neque enim mea culpa accidit, ut congressiones non viserim. Vereor, ne putidum sit scribere ad te, quam sit accusatus. Sed tamen distinebar et huic tantulæ chartæ tabellariae tempus vix habuerim, nedum mihi fuerit liberum congressiones adire.

Tui semper.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

Caesaraugustae, die XV m. Aprilis a. 1940.

Divi Isidori in Caesaraugustam paeconium

Ubique terrarum, decimo nono ab adparitione adventuque Deiparae Virginis a Columna recurrente saeculo, gentes exultant animumque simul et oculos in urbem tanto nobilitatam beneficio miro gaudio et pia devotione convertentes, Caesaraugustam antiquitate, pulcritudine, gestis clarissimam celebrant toto corde.

Ipse quoque, licet obliter, ipsius cuperem revocare laudes, testimonia quae-dam adferendo quae in patriam caram et in Caesaraugustam praecipue forte in operibus Divi Isidori Hispalensis modo perlegebam. Ipsius enim testimonium majus est ut facile neglegamus.

Officilne causa vel devotionis Caesaraugustam accesserit necne, historici dis-ceptent: id autem ultro praetermittimus.

Exstant vero litterae ad Braulionem. Caesaraugstanum praesulem, quorum verba suavissima en habes:

«*Onni desiderio desideravi nunc videre faciem tuam et utinam aliquando impleret Deus r̄ tum meum antequam moriar, cet.*»

Rursus in alia epistula: «*Quia non vales te frui oculis carnis perfruar saltem adloquiis, ut ipsa amici sit consolatio incolumen litteris cognoscere quem cupio videre.*» Et similia in reliquis ad S. Braulionem litteris.

Jam vero, utrum tantum ex miro erga Braulionem amore, an etiam ex tenerima erga Sanctissimam Virginem dilectione haec verba protulerit nunc mea nihil refert. Hoc tantum assertum maneat, clarissimum Hispalensem Episcopum Caesaraugustam magnis prosecutum laudibus, cum nempe in XV Etymologiarum libro hac memoranda de Caesaraugusta reliquit:

«*Caesaraugusta, Tarragonensis Hispaniae oppidum a Caesare Augusto et situm et nominatum, loci amoenitate et deliciis praestantius civitatibus Hispaniae cunstis, atque inlustrius, florens sanctorum martyrum sepulturis.*»

Si Gotthorum historiam consuleris ceterosque Etymologiarum libros perlustraveris multa de hac aliarumque Hispaniarum civitatibus repieres, de origine nempe, de situ virtutibusque, quae omnia facile praeterires, ut notissimam Hispaniae descriptionem quae in XIV Etymologiarum libro continetur, degustares. In ea quandam forte similitudinem cum Vergiliana Italiae descriptione, quae est in II Georgiorum libro, invenies. Utramque liceat depromere, utramque proponere quo melius inter se conferre possimus.

Hispaniae descriptio.

(Etym. lib. XIV)

(1) Hispania prius ab Ibero amne Iberia nuncupata. Postea ab Hispalo Hispania cognominata est. Ipsa est et vere Hesperia ab Hespero stella Occidentali dicta. Sita est autem inter Africam et Galliam, a Septentrione pyrenialis montibus clausa a reliquis partibus undique mari conclusa...

(2) Salubritate caeli aequalis...

(3) Omnim frugum generibus fuscunda...

(4) gemmarum metallorumque copiis ditissima...

Italiae descriptio. (Georg. II, 136-175)

(1) An mare quod supra memorem, quodque adluit infra?...

An memorem portus Lucrinoque addita [claustra,

(2) Hic ver adsiduus atque alienis mensibus [aestas.

(3) Sed neque o Medorum silvae, ditissima [terra...

laudibus Italiae certent, non Bactra neque [Indi

totaque turiferis Panchria pinguis harenis... sed gravidae fruges...

(4) Haec eadem argentifivos aerisque metallis ostendit venis atque auro plurima fluxit.

(5) *Interfluunt flumina magna, Baetis, Minius, Iberus...*

(6) *et Tagus aurum trahens ut Pactolus...*

(7) *Habet provincias sex: Tarraco-nensem, cet.*

(5) *Fluminaque antiqua subter labentia [muros.*

(6) *Nec pulcer Ganges atque auro turbidus [Hermus.*

(7) *Adde tot egregias urbes operumque la-borem, cet.*

Quam offendimus dissimilitudinem vatem inter et Antistetem, ea indoli et ingenio in unoquoque disparibus tribuenda est: ille scilicet poëta, hic narrator erat; itaque, quae Vergilius suavius et copiosius compto carmine celebrarat, eadem fere concinnius et brevius soluta oratione narrat Hispalensis: ille uberior, hic verius, qui magis Plini vestigia in indagatione rerum, quam Mantuani in delectu verborum videtur secutus. (cfr. Plin. H. N. lit. IV. 20; lit. XXXVII, 8).

Hanc qualemcumque disquisitionem hac interrogatione claudere liceat: Deiparam Virginem a Columna Divus Isidorus portenderetne, cum Hesperiam ab Hespero, stella occidentali, nominatam adseruit? Perquirant critici, nos vero Virginem Matrem, quae vespere et mane frequenti stipata turba fidelium Caesaraugustae post novendecim saecula veneratur, debitissime prosequamur laudibus et paeconis.

CAESARAUGUSTANUS.

Sollemnia Augstea



Frequenti et amplissimo hominum concursu recens a die 30 Maii ad diem 4 Iulii, Caesaraugustae sollemnia Augstea celebrata sunt. Quibus occasio fuit aeneae imaginis Divi Augusti a Musollino duce huic clarissimae et vetustissimae urbi dicatae institutio.

Quorundam Administrorum Hispanicorum praesentia necnon et legatorum Italorum contiones et publicos coetus conlustravit.

Hac data opportunitate in votis erat speciale PALAESTRÆ LATINAЕ fasciculum de Augusto Imperatore edendum curare. Sed quanquam multum ad hoc adlaboravimus, nondum rem perficere valuimus.

Ergo ad proximum numerum propositum protrahere necesse est. Nunc vero liceat tantum summarium proferre:

1. Bis millesima C. Augusti ni Italia commemoratio (Viator).
2. Caesaraugusta (Dr. P. Galindo).
3. Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur o.bis (Dr. A. Pujol).
4. De vita et moribus Caes. Augusti (L. de Zubiría).
5. Octavius Caes. Augustus Imperator pacis? (Jiménez).
6. De fictionibus Augsteis mediis aevi (V. Tena).
7. Magnus ab integro... nascitur ordo (S. Ducay).
8. De Hispanica temporis computatione (Dr. J. M. Vives).
9. Varia Augstea (Dr. A. Griera).
10. Pittacia Augstea (J. Delgado).
11. De itineribus Romanis tempore Augusti (Gr. Checa).
12. Carmen Saeculare (Martija).
13. Bibliographia Augstea.

ACTUARIA.

Beatissima Virgo omnium gratiarum Mediatrix

Humanissimos eosque eruditos PALAESTRAE LATINAЕ lectores aequo animo esse amplexuros, quidquid in hujus commentarioli pagellis de Virgine, omnium gratiarum Mediatrix, disseram, mihi certo persuadeo.

Hoc pulcerrimo mediationis universalis diademate meae Matris tempora hodie circumdare maxime juvat, nihil enim, ita censeo, jucundius Virginis candidissimae atque honorificentius, et praesertim rem videor muneri filii Mariae consentaneam praestiturus. Tantam igitur adgredior quaestionem, adserens Dei Geneticis mediationem, orbis terrae judicio, ac testimonio comprobari, qua de re omnium fere miram esse concessionem.

Multipliciter euidem meam adsertionem confirmare ac roborare possum, sed ne multus sim scribam parce.

Quibus autem tanta Beatae Virginis dignias fundamentis consistat.

In primis hoc maximum Mariae privilegium in eo quod Dei est Mater praecepue innititur. Numquid cadat in hominum mentes cogitare Inmaculatam Virginem, Jesu Christi Matrem praestantissimam, bonorum omnium in mundum profluentium non esse dispensatricem? Nonne excellentiam atque Dei Geneticis potentiam summopere minuas, si ex ejus capite splendidissimam tollas mediationis corenam? Creaturae omnes in Jesu Christi potestatem ratione unionis mirabilis, quam Hypostaticam adpellant, subiguntur; quare ejus potentissimae Matris imperio non etiam subjicientur atque oboedient?

Quis, autem, nesciat Mariae dignitatem altioris esse ordinis, eo quod pertineat quodammodo ad Unionis Hypostaticae ordinem ipsamque intrinsece respiciat, et cum illa necessariam ferat conjunctionem? Si vero gracie omnes, quas, labentibus saeculis, hominibus Jesus Christus elargitus est, per Mariam minime interfluerint, num Deiparae dignitas summa praedicabitur? Ratione Maternitatis «Omnipotentia supplex» adpellatur, huic opinioni Doctoribus suffragantibus ideoque nullum sub Virginis patrocinio peritum esse confirmant.

Quorsum tandem haec? Nullam in homines gratiam advenire nisi Virginis precibus intercedentibus. Quidquid autoritate et gratia Virgo apud Deum valet, hominibus valet. Quae verba plus quam satis nobis innuunt mundi Reginam Mediatricem esse. Deiparae Mediatricis in nos beneficia nulla mens cogitatione capiet. In tuam proinde fidem, Beata Virgo, omnes homines accipito et profecto salvi fient.

Secunda mediationis radix in eo, quod tribus Augustae Trinitatis Personis coniunctissima sit, jacet. Pater Aeternus in primis, divinarum largitionum, munerumque omnium thesaurum Filiae suae carissimae tradidit «quibus et quando vult» hominibus praebiturae, prout eloquitur Bernardinus.

Dei Filium, an esset Rex, a Pilato rogatum sic Ei respondisse novimus: «Tu dicis quia Rex sum Ego». Jesus Christus, hominum Redemptor, terrarum orbem amplexus est imperio, cui adcedit pulcherrima Sancti Cyrilli Alexandrini sententia:

«omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per vim extortum nec aliunde invectum sed essentia sua et natura».

Mundi Servator omnium principatum secum tenet: ergo et Mater. Omnium cumulate? ergo et gratiarum. Si Jesum qui de Virgine natus est, Regem nominamus, Mater quae Eum genuit, Regina et Domina proprie ac vere censebitur. Nemo autem non videt gratias atque benedictiones in homines profluentes ex hoc dominatu sejungi nequire, si integrum Mariae principatum servare voluerit.

Nomine quoque Spiritus Sancti Sponsae, summum gratiarum jus possidet Virgo Sanctissima. Namque in humanis plerumque nulla fere gratia hominibus conceditur nisi prius Domina ita decreverit. Et in caelestibus beneficium, quantulumcumque ad homines descendet, Regis Sponsa nesciente? Moralistarum Princeps paucis hanc opinionem confirmasse videtur: «perge, Maria, perge secura in bonis Filii tui; fiducialiter age; tamquam Regina, Mater Regis et Sponsa tibi dabitur regnum et potestas». Et quis adfirmare audebit Spiritum Sanctum praedilectae Sponsae, postquam omnibus divitiis cummularat, non etiam daturum bonorum thesaurum ab ea hominibus distribuendum? Te duce, mea Mater, omnia summa sumus adepti. Quanto ergo gaudio mundus adficietur atque laetitia cum auspicatissimus optatissimusque dies —utinam proximus!— inlucescat, quo Dei Matris mediatio ut fidei dogma a Romano Pontifice definietur.

Gratiarum fontem cum per Mariam accepissemus, illa enim fuit lilyum innaculatum quae rosam inmarcescibilem genuit Christum, nonne gratias omnes a Virgine accipiemus? Flos etiam fuit Mater nostra de quo preciosissimum convallium lilyum, hominum Redemptor ortus est; ejusque namque Sanguine, nive puriore montes de-albante, Jesu Christi corpus, mira quidem Spiritus Sancti operatione, perfectum est, nam juxta Divum Augustinum «caro Christi caro Mariae». Vocem nunc extollamus atque Mariam in omnes gratias quas Salvator mundi nobis in Passione meritus est, jus habere ut «principium quo» palam praedicemus. Faxit Deus ut Ecclesiae navicularius Pius Papa XII, Virginis Mariae tempora hoc quidem nitidissimo diademeate, quam brevissime, cingere valeat.

Nunc autem ne imprudentes nos eloqui judicemur aliquos e Sanctis Patribus, hujus doctrinae sectatores in medium proferamus. Ex saeculo tertio sanctum Athanasium commemorare debemus; ex saeculo quarto sanctum Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum atque Ephraem cuius de Beata Virgine haec sunt Verba: «Tu captivorum redemptio et omnium salus; ave, pax, gaudium, salus mundi!» Ineunte saeculo VII sanctum Ildephonsum, praeclarissimum Archiepiscopum Toletanum eodemque exeunte sanctum Johannem Damascenum. Saeculi XII initio magnis fulget splendoribus filius ardentissimus, sanctus Bernardus qui Mariam «salutis Medicinam» adpellabat, et Richardus a sancto Laurentio. Ex saeculo XIII Theologorum principem atque Angelicum Doctorem referamus et Divum Bonaventuram. Ex saeculo XVII enumeratur sanctus Alphonsus Maria de Ligorio cuius sententiam de mediatione supra rettulimus. Haec a celeberrimis Ecclesiae Doctoribus tradita sunt.

Alia non pauca, benevoli lectores, brevitatis gratia ne longiore oratione vestrum animum atque mentem remoremur silentio praetereamus.

Quam doctrinam jam ab antiquissimis temporibus vigentem, ad nostram consuetudinem frequentibus scriptorum studiis propagatam in dies crescere atque non parvis amplificari incrementis, afirmare haud inmerito ausim. Et quidem ut caeli ac terrae Imperatrix, hoc diademate ornata semper adfulgeat, maxime decet.

Dei Matrem nostramque suavissimam colere cupientes, illud Doctoris Duns Scotti memoriâ teneamus: «Quod excellentius, Virgini est tribendum».

MACARIUS LÓPEZ DE ZUBIRIA, C. M. F.

Epheborum Exercitationes

Calceatenses Alumni Alabonensis- bus suis S. P. D.

Carissimi fratres in C. O. M.: Jamdum has litteras salutatorias simul et gratulatorias ad vos mittere anhelabamus, siquidem fieri non potest quin vestra intersit ut vos tamquam fratres nostros in C. purissimo ejusdem Matris praedilectos, nostris de rebus certiores faciamus.

Cum vobis, optimi fratres, nostram vere fraternam, spectatissimamque, — quidni? — salutationem scribimus, prae primis nostrum erga Palaestram amorem majore flamma in dies aestuantem vobis patefacere debemus. Quanto igitur animi solatio profectuque, epistulare commercium in ephborum Palaestrae exercitationibus descriptum, oculis animisque perlegimus. Amplius, ergo, ferre nequimus nostram subscriptionem a frequenti perjucundoque epistularum commercio abesse, quo omnes filioli Matris Congregationis sibi ad invicem litteras mittunt atque mutuo sese adhortantur. Quo pacto nos, tirones cum militibus selectis atque strenuis contendere audebimus? Hodie tandem etsi adhuc incerto pede signamus humum, ad Palaestram, moderantibus professoribus adimus. Toto vobis ex animo gratulamur quod Palaestra, exul Cervaria, vestra in domo castra exeret.

Haud incerte haec vobiscum familiaritas fructuosissima nobis erit, quippe qui ad fontem proximi aquas haurire limpidissimas potestis. Vestrum exemplum sectantes, admirandum sane aemulandumque, nos, nunc postulantes, qui quondam, favente Deo, hoc ipsum quod postulamus adipiscemur, cum, scilicet, nomen militiae Claretianae demus, omnia ejus maximi aestimamus et operam indefesse pro viribus novamus, ut omnia ad felicem ducantur exitum.

Ramusculi sumus, surculi sumus irrigati atque enutriti martyrum sanguine — heu P. Jovaeum, magistrum desideratissimum! — quorum gesta nobis et exemplo et igniculo semper erunt et ubique.

Faxit Deus ut mater Congregatio tot orbata filiis praeclaris qui sanguinem pro Christo effuderunt, novellis filiis gaudeat, qui, non tantum nomine verum etiam re quidem vera, dignos se praebent fratribus martyribus quorum memoria non delebitur.

Quod Deus omnibus nobis bene vertat

Valete, et salvere Superiores vestros et Professores verbis nostris jubete

ALUMNI TERTII CURSUS LATINITATIS

Sancti Dominici Calceatensis,
Kalendis Aprilibus.

Commercium Epistulare

Alfonso M. Navia optimo viro Josepho M. Jiménez Delgado S. P. D.

Nescio utrum vehementer amem, an benigne reprehendam, tua erga me voluntatem in commendatitia recensione libri de recta linguae Latinae pronuntiatione: me sane tanti praeconii fateor indignissimum. Cujus honoris pars haud minima cedit clarissimo P. Emmanueli Jové, quippe qui mihi argumentorum copiam in prioribus capitibus conficiendis ministravit: nec facile dictu est quanto ille mihi fuisset auxilio si rem absolvere, fato recedente, potuisset.

Equidem nihil intentatum relinquere vellem donec recta linguae Latinae pronuntiatione a plerisque juvēnum rectoribus excipiatur: ad quam amplectendam ephemerides societasque Latinae, neenon conventus, quos vocant, internationales de litteris classicis plurimum videntur conferre. Oro ergo te, qua polles auctoritate, cures ut Latina veritas in excultos animos inrepat.

Vale, et me tibi addic̄tissimum, ut coepisti, amare perge.

Tunquae in Columbia, Kal. Martiis.

Josephus Jiménez clmo. viro Alfonso M. Navia s. d.

Nihil est quod de commendatione tua succenseas, nisi quod aut inepta, aut parum callida, aut incongrua prodita sit. Culpa tamen non mihi; tibi tribuenda, qui opus absolutissimum perfecisti.

Recte Emmanueli carissimo publicum reddis honorem, utpote qui non tantum scriptis, sed et usu indefesse et obſtinate classicam pronuntiationem propugnaverat. Non dubito quin ipse nunc quoque in caelis, ubi Latinam linguam sermonem omnium caelicolarum communem fore dictitabat, classica pronuntiatione delectetur. At nos in terris: quam sunt hominum disparia judicia! Quot sunt populi tot sententiae. Nec eadem in unoquoque populo firma sententia manet.

Jam Avenarius anno 1930 in epistula ex Aquis Driburgensibus Jovaeo nostro data de Germanis haec habuit: «Ergo nos tribus modis loquimur. Illa verba: *Tuque princeps militiae caelestis...* in schola sonat: *Tukve prinkeps milithiae kaileſtis;* in ecclesia: *Tukve prinzepls milizie zelestis;* amici italici oris dicunt: *Tuke printschepls militisie tschelestis* varietate mirifice delectante».

Apud nos quoque sunt qui illam quam vocant romanam pronuntiationem pro aris et focis defendant; sunt et qui priſtinam hispanam pronuntiationem retinere contendunt; sunt etiam qui ab speciali diversarum regionum loquendi modum recessere nolint; demum et qui classicam pronuntiationem, prout tempora patiuntur et homines restituere curant.

Quae cum ita sint, viden quam difficile sit omnes ad unam eamdemque pronuntiationem reducere? Alios enim quia a nationali pronuntiatione haud facile arceres, alios quia italicam pronuntiationem non solum commendatam sed etiam a Romano Pontificem jussam omnibus Christi fidelibus praedicent, alios quia unusquisque illam pronuntiationem tenet quam a prima institutione recepit nec ab illa avelli sinit.

Unde hic quoque praestat id quod multotiens remedium efficax et stabile: labor et tempus, quae omnibus medentur.—Caesaraugusta, XV Kal. Majis.

Aenigmata

1. *Ludus sum pariter mentesque manusque fatigans:
ludens ne capias damna nociva, cave!
Littera, quae numerum suevit signare Ludolphi,
praecedit? Grani tenuerunt putamen habes.*
 2. *Rex Lydiae visum mortalem quaemque latebam:
hoc magicā mihi jus annulus arte dabat.
Tollitor e medio mihi gamma! Repente fit ex me
centimanus, timuit quem pater ipse, gigas.*
 3. *Sigma praeit? Macedo vibrat hastam miles in hostem.
Lambda praeit? Urbs sum maxima Thessaliae.*
- Prof. FR. PALATA, Moravus.

Solutiones aenigmatum numeri 59

- | | |
|-----------------|---|
| 1. Portitor. | 4. Feretrum. |
| 2. Cura, curia. | 5. In aqua beneficia quae nos facimus, in aëre
autem quae accipimus. |
| 3. Atreus. | |

Quisnam dissolvit? R. P. Hilarius a Puerto Jesu, Carmelita Discalceatus, omnia recte dissolvit, R. P. Johannes Emm. Hernández, SCh. P., 1-2-3; R. P. R. Sarmiento, C. M. F., cui ob Sacerdotii receptionem toto corde gratulamur omniaque fausta adpreciamur, recte dissolvit 1-3-4 numeri 58. Omnia quoque optime interpretatus est D. Michaël A. Medina, Seminarii Tunquensis Alumnus (in Columbia).

Per Orbem

Kalendis Februariis, tercenti et viginti sex erunt anni ex quo prima studiorum Sedes, Cordubæ, in Argentina, a nobili Tucumanæ dicionis episcopo, Dno Ferdinando Trejo et Sanabria, fundata est anno 1614.

Hic, bene de Republica meritus Latinisque litteris, quippe quod omnem in eis longe lateque evulgandis excolendisque operam constituerat dum terris agebat, omnesque largissima manu facultates ad eas fovendas atque opitulandas testamento reliquit.

Academia Cordubensis Ecclesiae decus, Hispaniae, populorum altricis, gloria, et Patriae fuit est eritque semper lumen et ornamentum.

Post, labentibus annis, inmoderatae libertatis, ne dicam licentiae falso quodam spiritu inbuti homines, infenso praeprimis ducti in religionem animo, nullum non moverunt lapidem donec sacram doctrinam et litteras ab scholis relegare eaque amandare nanciserentur.

Jacebant ergo frigescebantque penitus in Universitatis aedibus multorum annorum tractu, magno civilis cultus detimento et peritorum maeore, litterarum studia Latinarum.

Jam nunc, novo ineunte studiorum curriculo, ad pristinum, a quo discedendum non erat, tramitem revertetur disciplina linguae Latinae Graecaeque, industria et diligentia humanissimi Uni-

versitatis Rectoris, Doctoris Novillo Corvalán.

Hujus opera, Vergili et Ciceronis ad scholas reditus, a quibus injuste tandem exulabant, exspectandus est.

Hujus sedulitate classicae, quas nominamus, et Graecorum et Latinorum litterae magno posthaec erunt in honore in Academia Cordubensi,

Licentiae gradus, quinque annos, quattuor in hebdomada horarum spatio adipiscendus, creatur.

Fieri non potest quin utraque manu inceptum plaudamus Praesulis amplissimi. Etenim, (Juv. Sat. XIV, 47)

«Gratum est quod patriae civem populoque dedisti,

Si facis ut sit patriae idoneus, utilis agris, cet.

Plurimum enim intererit quibus artibus et quibus hunc tu moribus instituas.

Apud omnes constat, Latinos auctores, plurimum adferre utilitatis ad puerorum maxime ingenium alendum

eorumdemque animum augendum. Omnia equidem sententia, humaniores litterae nonnihil ad solidam aberrantis juventutis informationem conferunt, hac praesertim hominum aetate. Idcirco, nunc illud, si unquam alias, memorare juvat: Hor. Carm. III, 24, 53)

...et tenerae nimis
mentes asperioribus
formandae studiis.

Pernicis pueri columen illa sunt et pondus et moles certaque quaedam in agendo norma et regula. Nihil enim sic praestat ad id, quod Ausonii in votis erat, adsequendum. (Chil. sent 6):

Nulla juventus gravior quae similis
[senectae.

Sanctitas certe et, ut sic dicam, virilitas ab iis petenda est, quando nos in omnia deliciarum vitio dicendi quoque ratione defluximus, ait Quintilianus. (Inst. I, 8, 8, 9).

R. SARMIENTO, C. M. F.
Villae Rosarii in Argentina, V kal. febr.

Bibliothecae Auctorum Graecorum et Latinorum

Doctoribus A. Segalá et C. Parral moderantibus opera, quae supersunt, veneunt apud

Vda. Segalá — Provenza, 290. 3-2 — Barcinone in Hispania

Auctores Latini		
Textus Latinus - constructio directa-interpretatio hispanica.—Cornelio Nepote: I-V. Prefacio, Milciades, Tenistocles, Aristides, Pausanias, Cimón	5'00	ptas.
VI-VII. Lisandro y Alcibiades	1'50	"
VIII. Trasíbulo	0'50	"
IX. Dion	1'—	"
X. Conon	0'50	"
XI. Ificrates	0'50	"
XII. Cabrias	0'50	"
XIII. Tímoteo.	0'50	"
XIV. Datames	1'—	"
XVI. Pelopidas	0'50	"
XVII. Argesilao	1'—	"
XVIII. Eumenes	1'50	"
XIX. Focion	0'50	"
XX. Timoleon	0'50	"
XXI. De los Reyes	0'50	"
XXII. Amilcar	0'50	"
XXIII. Aníbal	1'50	"
XXIV. Catón	0'50	"
XXV. Ciceron	1'—	"

Horacio: Epodos I, II, III	1'—	pta.
Epodos IV, V, VI	1'50	ptas.
Lhomond: Historia Sagrada:		
I. Desde la Creación hasta José ,	1'—	pta.
II. Historia de José	1'—	"

Auctores Graeci

Sofocles: Electra	8'50	Arato: Los Fenómenos	0'50
Pindero: Las Olímpicas	0'50	Safo y Erina: Odas	0'50
Mosco di Sirac: Amor fugitivo	0'50		

Patrología griega (tantum hispanicam continet interpretationem)


I. Doctrina de los doce Apóstoles-Homilías predicables de S. Basilio, S. Gregorio Nacienceno, S. Gregorio Niceno y S. Juan Crisóstomo — Silogismos de Dídimo el Ciego: 4'— pesetas.	
II. Tratado de S. Juan Crisóstomo contra los que se oponen a la vida monástica: 2'50 ptas.	
N. B. Libri, cum postulabuntur immediate mittentur; premium vero tum equidem solvendum, cum librorum fasciculus a cartario accipiatur.	



in Latinum
 translata a R.
 P. Ludovico
 MARCOS
 C. M. F.
 Villae Rosarii
 in Argentina
 litt. Lat
 Professore.


XXXII

Titus autem exitu interclusus magno lapidum aggere premitur. Corruit enim spelunca explosione facta.



XXXIII

Plumbo captus oculis sese praecipitem adegit leo per abrupta deorsum, cum Melampus jam jam instaret ad caudam.




XXXIV

Reversus in erum stupore adficitur magno Melampus penitus dirutam videns speluncam.



XXXV

Instinctu miro ductus, fodare coepit ad ostium.



Bibliographia

Blas Goñi - Emeterio Echeverria. — *Gramática Latina, Teórico-práctica.* — Editorial Aramburu. — San Saturnino, 14 y Avenida Carlos III, 16. — Pamplona, 1939.

Litterarum Latinarum peritis Dris. Blasii Goñi nomen novum non obfertur. Auctor enim in campo scientiarum clarissimus, per plures annos ad ejusmodi studia deditus, magnas consecutus est lauros. Opera Latina necnon et Graeca ejus famam, merito comparatam, per orbem pervulgarunt. Quattuor Grammaticae Latinae pluribus jam annis recententur editiones atque nunc auctores Goñi-Echeverria. Theologiae Professor prior, alter vero Philosophiae, quondam Humaniorum Litterarum Magistri, quintam lectoribus praebent editionem.

Methodum in regulis explicandis adhibent traditionalem, hac tamen variatione: tractatus de orationibus simul ac Analogia explicatur. Sapiens quidem atque perutilis mutatio pro Aluminis ad Latinitatis structuram jam ab initio rite intellegendam ejusque pulcritudinem praegustandam. Duas partes complectitur opus, theoricam scilicet et practicam. Priorem perfectam judicamus. Meo autem judicio operis meritum est pars practica quae semper in ejusmodi studiis praecipuas ferre debet partes. Plurima enim invenies exercitia practica quae singulas comitantur lectiones, vocabulario adjuncto uniuscujusque lectionis voices amplectente. Exercitia sunt: *accomodata* regulis quae explicantur; *ordinata*, id est, ex rebus facilioribus ad difficiliores ascendunt; *variata*, lectiones enim exemplis mirabili varietate gaudentibus adparent; et *classica*, denique, nam ex auctoribus classicis fere omnia excerpuntur exempla. Tres quoque appendices continet opus: 1^a agit de Sacra Hymnologia; 2^a de Inscriptionibus seu de Lapidario Stylo, et 3^a de locutionibus ad Latinum sermonem maxime inservientibus. Neque deest quaedam Anthologia Latina, quamvis brevissima.

Et quoniam «omne tulit punctum qui miscuit utile dulci» quosdam invenies jocos animos juvenum praesertim recreaturos, nempe, aenigmata, syllabico aenigmata, proverbia, cet. Conficitur opus vocabulario Latino-Hispano. Libentissima pro Alumnis Latinitatis commendamus illud. Interea juvat plena manu auctoribus plaudere eisque toto corde gratulari. — M. ZUBIRIA, C. M. F.

J. Jiménez Delgado, C. M. F. — *Primer Curso de Lengua Latina, adaptado al Cuestionario oficial.* — Avenida Siglo XX, 37. Zaragoza. — Imp. F. Camps Calmet, Tárrega - 1940.

Pater Jos Jiménez, cuius nomen apud lectores PALAESTRAE LATINAЕ maxima gaudet familiaritate, primam partem super edidit operis grammatici, quod amore magno perficiendum curat Gubernium Nationale, Traditionis humanisticae in Hispania premens vestigia, classicis studiis in scholis mediis et Universitatibus impensis favet, praecipue vero linguae Latinae quae vere lingua Ecclesiae nominatur; omnesque conatus ad hujus linguae studium promovendum a PALAESTRA LATINA adhibitos protegit ac tuetur.

Ministerium Educationis quaestionarium officiale Latinitatis proposuit, cui P. Jiménez lectiones primi cursus adcommodavit.

Auctor Horatianum illum scopum devitavit: «brevis esse labore, obscurus fio»; brevitati enim consultit quin claritati noceat; doctrinae simul copia commendatur. Expositio modo schematico per paradigmata procedit, quo facilius materiae oculis alumnorum et mentibus inhaereant. In primo paradigmate pronuntiatio Latina triplex exponitur, scilicet classica vulgo dicta, hispana et italica. De accentu prosodico, ubi regulae prosodiae declarantur, et de orationis structura, paucis verbis sed densitatis plenis absolvit; eademque methodo schematica agit de flexione nominali, de adjективis et pronominibus, de flexione verbalis, de praepositionibus, adverbiosis et conjunctionibus. Praeterita et supina quae magis usu veniunt, quasi per jocum ipsa verborum flexione ediscuntur. Pars theorica paradigmate de verborum compositione et derivatione clauditur.

Pars exercitoria sententias et adagia Latina continent; atque versionis themata Latina, praesertim ex operibus paedagogicis Lud. Vives mira sedulitate excerpta.

Amici et conscriptoris P. Jiménez propositum inceptum plaudimus ejusque opus grammaticum Institutorum officialium fores inveniat apertas toto corde exoptamus. Nostra etiam gratulatio desideratissimo F. Camps Calmet typografo qui, iterum ad Palaestram, post turbulentissimas tempestates optimis omnibus revertitur.


H. MARTIJA, C. M. F.



in Lafinum
translata a R.
P. Ludovico
MARCOS
C. M. F.
Villae Rosarii
in Argentina
litt. Lat
Professore.


XXXII

Titus autem exitu interclusus magno lapidum aggere premitur. Corruit enim spe-
lunca explosione facta.




XXXIII

Plumbo captus oculis sese
principitem adegit leo per
abrupta deorsum, cum Me-
lampus jam jam instaret ad
caudam.




XXXIV

Reversus in erum stupore
adficitur magno Melampus
penitus dirutam videns spe-
luncam.



XXXV

Instinctu miro ductus, fodi-
care coepit ad ostium.



B i b l i o g r a p h i a

Blas Goñi - Emeterio Echeverria. — *Gramática Latina, Teórico-práctica.* — Editorial Aramburu. — San Saturnino, 14 y Avenida Carlos III, 16. — Pamplona, 1939.

Litterarum Latinarum peritis Dris. Blasii Goñi nomen novum non obfereatur. Auctor enim in campo scientiarum clarissimus, per plures annos ad ejusmodi studia deditus, magnas consecutus est lauros. Opera Latina necnon et Graeca ejus famam, merito comparatam, per orbem pervulgarunt. Quattuor Grammaticae Latinae pluribus jam annis recensentur editiones atque nunc auctores Goñi-Echeverria, Theologiae Professor prior, alter vero Philosophiae, quondam Humaniorum Litterarum Magistri, quintam lectoribus praebent editionem.

Methodum in regulis explicandis adhibent traditionalem, hac tamen varia-
tione: tractatus de orationibus simul ac Analogia explicatur. Sapiens quidem atque perutilis mutatio pro Alumnis ad Latinitatis structuram iam ab initio rite intellegendam ejusque pulcritudinem praegustandam. Duas partes complectitur opus, theoricam scilicet et practicam. Priorem perfectam judicamus. Meo autem judicio operis meritum est pars practica quae semper in ejusmodi studiis praecipuas ferre debet partes. Plurima enim invenies exercitia practica quae singulas comitantur lectiones, vocabulario adjuncto uniuscujusque lectionis vo-
ces amplectente. Exercitia sunt: *ac-
commodata* regulis quae explicantur; *ordi-
nata*, id est, ex rebus facilitioribus ad dif-
ficiiliores ascendunt; *variata*, lectiones enim exemplis mirabili varietate gauden-
tibus adparent; et *classica*, denique, nam ex auctoribus classicis fere omnia excerpuntur exempla. Tres quoque appendices continet opus: 1.^a agit de Sacra Hymnologia; 2.^a de Inscriptionibus seu de Lapidario Stylo, et 3.^a de locutionibus ad Latinum sermonem maxime inservientibus. Neque deest quaedam Anthologia Latina, quamvis brevissima.

Et quoniam «omne tulit punctum qui miscuit utile dulci» quosdam invenies jocos animos juvenum praesertim recreatuos, nempe, aenigmata, syllabico aenigmata, proverbia, cet. Conficitur opus vocabulario Latino-Hispano. Libentissima pro Alumnis Latinitatis commen-
damus illud. Interea juvat plena manu auctoribus plaudere elisque toto corde gratulari. — M. ZUBIRIA, C. M. F.

J. Jiménez Delgado, C. M. F. — *Primer Curso de Lengua Latina, adaptado al Cuestionario oficial.* — Avenida Si-
glo XX, 37. Zaragoza. — Imp. F. Camps Calmet, Tárrega - 1940.

Pater Jos Jiménez, cuius nomen apud lectores PALAESTRAE LATINAЕ maxima gaudet familiaritate, primam partem nu-
per edidit operis grammatici, quod amo-
re magno perficiendum curat. Gubernium Nationale, Traditionis humanisticae in Hispania premens vestigia, classicis stu-
diis in scholis mediis et Universitatibus impensis favet, praecipue vero linguae Latinae quae vere lingua Ecclesiae nomi-
natur; omnesque conatus ad hujus lin-
guae studium promovendum a PALAESTRA LATINA adhibitos protegit ac tuetur.

Ministerium Educationis quaestionaria-
rium officiale Latinitatis proposuit, cui P. Jiménez lectiones primi cursus adco-
modavit.

Auctor Horatianum illum scopum devitavit: «brevis esse labore, obscurus fio»; brevitati enim consultit quin clarita-
ti noceat; doctrinae simul copia com-
mendatur. Expositio modo schematico per paradigmata procedit, quo facilius materiae oculis alumnorum et mentibus inhaereant. In primo paradigmate pro-
nuntiatio Latina triplex exponitur, scili-
cet classica vulgo dicta, hispana et itali-
ca. De accentu prosodico, ubi regulae prosodiae declarantur, et de orationis struc-
tura, paucis verbis sed densitatis plenis absolvit; eademque methodo sche-
matica agit de flexione nominali, de ad-
jectivis et pronominibus, de flexione ver-
bali, de praepositionibus, adverbii et coniunctionibus. Praeterita et supina quae magis usu veniunt, quasi per jocum ipsa verborum flexione ediscuntur. Pars theorica paradigmate de verborum compositione et derivatione clauditur.

Pars exercitoria sententias et adagia Latina continet; atque versionis themata Latina, praesertim ex operibus paedago-
gicis Lud. Vives mira sedulitate excerpta.

Amici et conscriptoris P. Jiménez propositum incepimus plaudimus ejusque opus grammaticum Institutorum officia-
lium fores inveniat apertas toto corde exoptamus. Nostra etiam gratulatio de-
sideratissimo F. Camps Calmet typogra-
pho qui, iterum ad Palaestram, post turbulentissimas tempestates optimis
ominibus revertitur.

H. MARTIJA, C. M. F.